



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepisc. Lvgdvnen. & Abbati Athanacensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

* id est, Regum
Francie & An-
glie.

de Regum * discordia procedentem , & quod nunc viginti quatuor sint in ea Canonici, cum non nisi sedecim esse con- fieverint ab antiquo , nec redditus ex- creverint augmentato numero perso- narum. Vnde ne ad recipiendum aliquos cogerentur, suppliciter postulabant. San- ne cum à dicto Episcopo Ostiensi haec & similia essent nobis & nostris fratribus enarrata ; nos volentes , quantum cum Deo & honestate possumus, facta præde- cessoris nostri obtinere debitam firmita- tem, illud etiam attentes quod bene- ficio indulgentie in Ecclesiæ favorem concessæ non sit per sequentes literas in gravamen Ecclesiæ derogatum, cum pro stallo chori & loco Capituli nullum præ- judicium Ecclesiæ generetur, investitu- ram tibi factam ratam habentes , ita du- ximus sententiale statuendum , ut tu sine contradictione vel dilatione qualibet stallum in choro & locum in Capitu- lo consequaris, post triennium ab indul- gentia tempore numerandum præben- dam integrum habiturus. Nulli ergo &c. Datum &c. vii. Kalend. Iunij.

BESVENSI ABBATI.

Epiſt. 216.
Quod ipsi li-
cerat aliquos ex
alii canonibus
ad instauran-
dum suum evo-
care, & ex suo
quodam ad
alia sumittere.

Cum à nobis petitur &c. usque ad verbum assensu, auctoritate tibi præ- sentium indulgemus ut quia Besvensis Ecclesia pro incendio quod sustinuit ad tantam devenit inopiam , ut monachis & confratribus ibi manentibus vita saltem necessaria ministrare non potes, li- ceat tibi aliquos de monachis & confratribus tuis ad Obedientias Cluniacenses pro vita sustentatione transmittere, & aliquos de monachis Cluniacensibus, quos ad hoc magis noveris expedire , ad Ecclesiam tuam pro reformatione & conservatione ordinis sublatu appellatio- nis obstatu convocare, donec Ecclesia tua dante Domino restauretur. Nulli ergo &c. vii. Kalend. Iunij.

BERGENSI EPISCOPO.

Epiſt. 217.
Quod merca-
tores Ecclesiæ
decimas per-
solvere cogan-
tar.

Cum à nobis petitur &c. usque ad verbum effectum. Sanè , sicut ex tua significatione comperimus, merca- tores diocesana tibi lege subjecti, cum eos negociationis causa in Islandiam transfretare contingit, decimas quas Ec- clesia tua percipere ab antiquis tempo- ribus confuevit , contra salutem suam detinent, eas reddere denegantes. Vo- lentes igitur tibi & Ecclesiæ tuæ paterna

solicitudine providere, fraternitati tuæ auctoritate apostolica indulgemus qua- tenus mercatores ipsos ad persolvendas consuetas & debitas decimas, si moni- tione præmissa noluerint , ecclesiastica districione subl. appellationis obstatu compellendi liberam habeas facultatem. Nulli ergo &c. Datum ut suprà , viii. Kalend. Iunij.

ORCHAD. ET ROSMARCHN.
Episcopis.

Dilectus filius nobilis vir H. Cate- nensis & Orchadiensis Comes no- bis significare curavit quod ipse pro re- demptione peccatorum suorum à tem- pore felicis memorie Alexandri PP. prædecessoris nostri denarium unum de qualibet domo in Comitatu Catenensi habita annuatim statuit pro eleemosyna colligendum , & ob reverentiam bea- tum Apostolorum Petri & Pauli ad sedem apostolicam dirigere consuevit : quam visitationem nomine eleemosynæ annuatim ad opus Romanæ Ecclesiæ colligendam tam suo quām bonæ me- morie A. olim Catenen. Episcopi & alio- rum nobilium illarum partium testimo- nio confirmavit. Cum autem postea me- morato A. Catenen. Episcopo viam uni- versæ carnis ingresso , venerabilis fra- ter noster I. in eadem Ecclesia fuisset in Episcopum institutus , prædictam ele- mosynam irritare præsumens , eam ab his qui sunt in sua diocesi constituti , au- toritate propria interdixit exsolvi. Quo- circa fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus si vobis constiterit de prædictis , præfatum Ca- tenensem Episcopum, si monitione præ- missa hoc facere neglexerit , ad satisfa- ciendum de eleemosynis subtraictis huc- usque , & ne eas reddi de cetero inter- dicat, sicut justum fuerit , auctoritate nostra , sublatu appellationis obstatu , per censuram ecclesiasticam compella- tis. Quod si ambo , alter vestrum &c. vi. Kalend. Iunij.

Epiſt. 218.
De annatis &
decimis promis-
sisque eleemo-
synis Romane
Ecclesiæ per-
solvendis.

ARCHIEPISC. LVGDVNEN.
& Abbati Athanacensi.

Dilecti filii Canonici Matisconenses nobis per suas literas intimarunt quod cum olim Valterus de Berziaco eorum Concanonicus tēpore bona me- morie Celestini PP. prædecessoris nostri ad sedem apostolicam accessisset , licet

Epiſt. 219.
Ut literæ apo-
stolice , quæ
surieptitæ
erant, impetra-
tæ, revocetur.

P iiij

fide interposita firmavisset quod contra divisionem terrarum vacantium, quam dilectus filius Anninus ejusdem Ecclesie Decanus juxta suae voluntatis arbitrium ordinaret, deberet nullatenus obviare, & tam pro hac quam aliis multis causis perjurij reus existens, pro debitis Ecclesie, quae retinuerat violenter, & fractura claustrorum sententia excommunicationis teneretur astristus, per suggestionem falsi, nulla facta super premisis omnibus mentione, ab eodem praedecessore nostro quandam Obedientiam, quae Praesteria nuncupatur, in salutis sue perniciem obtinuit sibi dari, tam ab eo quam a nobis confirmatione super hoc impetrata. Quia igitur id in grave præjudicium Ecclesie noscitur redundare, cum de proventibus illius Praesteriae illis qui assidue in Ecclesia serviunt memoria consueverint necessaria ministrari, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus si predictas confirmationis literas per suppressionem veri & falsi suggestionem, ut supradictum est, vobis constiterit impetratas, nullatenus permittatis quod dictus Galterus ex his fructum aliquem consequatur; quin potius tam Ecclesiam quam Canonicos antedictos ab impetitione ipsius, quantum ab obtinendum Praesteriam illam, appellatione remota penitus absolvatis, cum secundum canonicas sanctiones mendax prelator carere debeat impetratis; in statum debitum revocantes si quid post appellationem ad nos legitime interpositam in eorundem Canonorum prejudicium temere noveritis attentatum, & facientes quod exinde duxeritis statuendum per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Nullis literis veritati & justitia &c. Quod si ambo &c. tu frater Archiepiscopo &c. Datum &c. III. Kalend. Iunij.

*ABBATI DE IVGO DEI
& Priori de * Seillin.*

* In Tertia Colleit. & ap. Gegerium Silla.
Epis. 210.
Ne pro mortuorum sepulchra & coniugum copulacione pecunia exigatur.
Cap. Suam nobis. De simonia.

SVAM nobis dilecti filii parochiani de Villafranca querimoniam destinarunt quod Dalmatius capellanus eorum pro exequis mortuorum & benedictione nubentium minus licet pecuniam ab eis exigit & extorquet. quod si forte cupiditatem ejus non fuerit satisfactum, ne possint mortuorum corpora sepeliri vel nubentium benedictio celebrari, fictitia eis impedimenta fraudulenter op-

ponit. Quia igitur exactiones hujusmodi sacrorum canonum obviant institutis; discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus dictum capellatum, ut a tanta præsumptione defiat, & etiam pro excessu satisfaciat competenter, moneatis attentiū, & efficaciter inducatis. Quod si forte vestris motionibus noluerit obedire, ipsi appellatione remota pœnam infligatis. Datum &c. II. Kalend. Iunij.

*DECANO VLIXBONENSI,
Prioribus sancti Vincentij & de
Alcobacia.*

Exposuit nobis venerabilis frater noster Columbien. Episcopus quod cum causa quae inter eum & dilectos filios fratres militia Templi super Ecclesias de Ega & de Rodina & Palumbario vertebar, a bona memorie Lucio Papa praedecessore nostro venerabilibus fratribus Bracharen. Archiepiscopo & Episcopo Portugalen. fuisse a sede apostolica delegata, judices ipsi partibus convocatis & in eorum præsentia constitutis, sicut in literis eorum acceperimus, dictis fratribus mandaverunt ut de predictis Ecclesias vel eidem Episcopo vigesimo die post receptionem literarum ipsorum justitiam exhiberent, vel ei tanquam diocesano suo jura episcopalia in integrum persolvere procurarent; predictis Ecclesias interdicto subjectis, & parochianis earum excommunicationis sententia innodatis, nisi dicti fratres mandatis parerent ipsorum, vel iidem parochiani eis non parentibus in predictis Ecclesias divinis officiis interessent, aut decimas eis, primitias, sive mortuaria solverent, vel in ipsis corpora mortuorum sepelirent. Verum predictis fratribus sententiam eorundem iudicium nullatenus observantibus, a felicis recordationis Urbano Papa praedecessore nostro primò ad Io. quondam Vicedominum Brixien. & magistrum Io. Bergomen. Subdiaconum apostolicae sedis sub forma predictis judicibus delegata, ac deinde ad venerabilem fratrem nostrum Tuden. Episcopum & dilectos filios de Reforio & Alcobaciæ Piores fuerunt litere impetratae: quarum auctoritate non fuit usque ad calculum sententia diffinitiva processum, nec interdicti Ecclesiarum aut excommunicationis parochianorum sententia relaxata,

Epis. 211.
Ut confitam Epis-
copi Coim-
brensis & Mi-
litum Templa-
riandi.